

Rector Universitatis Rostochiensis Augustus Varenius, D. ... ad funus indictivum Viri Reverendi Dn. M. Johannis Georgii Bindrim, SS. Theolog. Professoris Ducalis Clarissimi, quod post festinatam quidem: sed beatam animae emigrationem & morte ad vitam transitionem Exanimo Corpori hodie hora 1. postmer. in templo Nicolaitano honorificum adornant ... Omnes omnium ordinu[m] Cives Academicos ... invitat

Rostochii: Keilenbergius, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746826583>


Druck Freier  Zugang





Varenius, A.,
in J. G. Binderim.

R. 1678.

79







RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
AUGUSTUS VARENIUS, D.

Collegii Theol. Senior, Consistorii Ducum Assessor
ad funus indictivum

VIRI REVERENDI

**DN. M. JOHANNIS
GEORGII BINDRIM,**

Theolog. Professoris Ducalis Clarissimi,

quod

est festinatam quidem; sed beatam
animæ emigrationem
& à morte ad vitam transitionem

Ex animo Corpori

hodie hora 1, postmer, in templo Nicolaitano
honorificum adornant

& nostri, **ACADEMICORUM**, Ordinis frequentiam
decorari exoptant

Reverendus pl. Defuncti Socer, & Vidua mœstissimi
Omnes omnium ordinū Cives Academicos

Virtutibus, doctrinā, dignationibus quoq; publicis
fulgidissimos

eā, quā fas est, autoritate & humanitate invitat.

Job. c. VII, 16.

Parce mihi. Dies enim mei sunt NIHIL.

Ps. XXXIX, 7.

Tempus meum, ut NIHIL est coram Te.

ROSTOCHII, Prelo FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typogr.

Anno MDCC LXXIIX.

Senecionem Cornelium, equitem Romanū splen-
didum & officiosum, qui ex tenui principio seipsum pro-
moverat, sic, ut, dum facilius crescit dignitas, quā incipit, ipsaq; pe-
cunia circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illā ereptat, illum
ad divitias, quibus imminabat, duæ res efficacissimæ duxerint, & quærendi &
custodiendi scientia, quarum vel altera locupletem facere potuisset, Sapien-
tissimus togatorum Seneca (de quo pronunciare veritus nō est Lipsius, quod
de Simplicio Epictetus, illum, qui ab ejus acrimoniâ non excitatur, non nisi
apud inferos corrigendum) meminit, quod tantæ dignitatis, summæq; fru-
gilitatis homo, non minùs patrimonii, quā corporis diligens, cum se ex cō-
suetudine mane vidisset, cum per totum diem amico graviter affecto & sine
spe jacenti, usq; in noctem assedisset, cum hilaris coenasset, genere valetu-
dinis præcipiti abreptus, anginâ, vix compressum arctatis faucibus Spiritum
traxerit in lucem, ac in ipso benè cedentium rerum actu, & procurrentis
pecuniæ impetu, postquam omnibus erat sani ac valentis officii functus, rap-
tus decesserit: ac, prout historiæ saluberrimum Epiphonema subjungit:
*Quam stultum est ætatem disponere! Ne crastino quidem dominamur. O
quanta dementia est, spes longas inchoantium! Emam, adificabo, credam,
exigam, honores geram, tum demum lassam & plenam senectutem in otium
referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt: Nihil sibi quis-
quam de futuro debet promittere: id quod, quod tenetur, per manus exit,
& ipsam, quam premimus horum, casus incidit. Ita non minùs, Princeps
eruditionis, & in præceptis sapientiæ ac sententiarum stimulis admirabilis,
nec, quod judicium Caligulæ de Senecâ fuerat, arena sine calce, tanto elo-
quentiæ & prudentiæ Magistro, ac Imperialis iuventæ, unâ cum Burro, di-
versâ quidem arte (hoc sc. militaribus curis & severitate morum, illo, pru-
denti facundiâ, & comitate honestâ) pari tamen societate & concordia (u-
troq; sc. id agente, quò facilius lubricam Principis ætatem, si virtutē asper-
naretur, voluptatibus concessis retinerent) Rectore dignum planeq; memo-
rabile dictum præmisit, ac tale adeo principium dedit: *Omnis dies, omnis
hora, quàm NIHIL finis ostendit, & aliquo argumento recenti admo-
net fragilitatis obliros, cum æterna meditates, respicere cogit ad mor-
tem.* Graviter sanè prudenterq; de Homine, quantacumq; etiam dignati-
onis, excellentiæ, potentiæ, splendoris, admirabilis eruditionis, publicæq; sit
famæ ac celebritatis, imò de universo illò, quod in homine, etiam Cæsare,
Rege, Principe magnificentissimi Schematis, admiratur vel veneratur Orbis
pronunciat, universum illud esse NIHIL. Quod si a Seneca, et si non nisi*

Ora.

Oracula ferè locuto, ad sanctissimã æterni Dei oracula mentem convertã-
 mus, pulcherrimam consonantiam, approbatamq; coelesti iudicio illam *Se-
 necæ* sententiam sine Monitore agnosceremus, postquam deprecatus miseriam
 vitæ præsentis *Jobus*, de universã vitã antea acta, annis, opibus, sobole, principali
 dignitate, autoritate, omnimodaq; prosperitate cumulatisimè & sic maestã,
 ut esset *Vir ille MAXIMUS OMNIUM ORIENTALIUM* (*Jobi* 1,3.) ore
 rotundo pronunciare veritus haut est, omnia illa *Vanitatem* esse, & prout
Vulgatus expressit: *Dies mei sunt NIHIL*. Salomo, autem, ut ut purpurã,
 Sapientiã, divitiis, autoritate longè supra Reges alios omnes, ac tantus *Eccle-
 siastes*, quantum *Rex*, non *dies* saltem vitales ex quantitate s. *continua*, s. *di-
 scretã* s. *tempore & numeris suis*, consideratos; sed & actiones, consilia, stu-
 dia omnia mundi, *vanissimam vanitatem* pronunciavit, ac non in ipso
 saltem limine, ter illud proclamavit: *Vanitas, vanissima, & iterum
 vanitas vanissima*, imò *ista omnia sunt vanitas* c. 1, 2. Sed & cum parado-
 xum illud, & generaliter, inductis objectis, partim à *communi evidentiã* c. I.
 adusq; v. 12. partim à propria suã, tanti *Regis*, probasset *experientiã*, cum in
Theoricis à v. 12. adusq; f. c. I. tum in *practicis & æconomicis* c. II. & *singula-
 riter*, observando facta & eventus in aliis, quamq; *consilia studiaq; humana
 omnia instabilitati temporis & universali cuidam vanitati sint obnoxia*, tum
 absolutè, in *obventitiis* à c. III. adusq; c. IV, 5. in *insitiis*, & his partim *Ethi-
 cè* in *solitario sordidè avaro* adusq; v. 13. partim politicè in *Rege Sene stolido*
 à v. 13. ad v. 17. partim *Ecclesiasticè* in *stolidorum sacrificio*, in *precipitato*,
ubi de DEO agitur, *responsò*, & *circa providentiam ac administrationem di-
 vinam præiudicio* à v. 17. c. IV. adusq; v. 8. c. V. in *adventitiis* s. *bonis ac-
 quisitis*, inde ad finem usq; c. VI. tum *compantè*, quoad *famam, mortem*,
 c. II. adusq; v. 9. quoad *sapientiam autem in rebus presentibus & ordinati-
 one Dei acquiescentem*, inde adusq; v. 13. à *fastidioso præiudicio abstinentem*
 à v. 13. adusq; v. 25. *insidias nihilominus improbitatis, mulieris, inprimis,
 nequam, prudenter observantem* à v. 25. adusq; f. c. VII. cum plus ultra ean-
 dem *Vanitatem*, quam hactenus communiter, circa *singula* notarat, consi-
 derasset *circa ipsam administrationem, tum Politicam s. humanam* c. IIX.
 tum in *observatione præiudiciorum circa divinam* c. IX. & utriq; *saluber-
 rima præscripsisset antidota*, illi, c. X. huic c. XI. adusq; c. XII, 8. denuò in
 ipsã clausulã libri, & totius tractationis succinctã *σωματομήσει*, proclama-
 vit: VANITAS VANISSIMA, imò OMNIA hæc sunt VANITAS, solam-
 qve *Dei reverentiam* (quam jam supra inculcaverat c. V, 6.) & *præceptorũ
 Dei observantiam*, commendavit velut *stabilem & in omne ævum perenna-
 turam*

tūm c. XII. à v. 8. adusq; finem libri, Nec minor, qui & Antecessor in purā
purā Spirituq; Dei, David, de quocunq; cujuscunq; etiam excellentia & fa-
stigiū mortali, pronunciat, illum arido feno, & flori succiduo similem, de cu-
jus existentia si quæretur, mox respondeatur illud: **NON EST**
Si de loco, audiatur illud: **Locus** (paulò antea ipsius) illum non amplius
agnoscit Ps. CIII, 15. 16. Si porro tantus Rex, qui in accurato dierum vite
nacionario apicem sapientie mortalium agnovit Ps. XC, 12. alibi non solum
studia rerum hujus vite, quibus laboratur, sudatur, emitur, venditur, & sive
jure sive injuriā domus, fundi, thesauri comparantur, quin vel id agitur, ut

extremos latè dominere per Indos

Te Medus, Te mollia Ambs, Te Seres adorent

phantasiā quandam, evanidamq; speciem, ac persprepentem Vanitatem,
omnemq; hominem, quantumvis eminentissimè & in solido tutoq; constitu-
tūm, qualis devictis, triumphatisq; undeq; hostibus in potenti splendi-
doq; Regno, tunc erat ipse David, appellavit, **OMNIMODAM VANITA-
TEM**, & ne quis hoc ὀνομαστικῶς dictum reputaret, præmisit illud **ἴσθι**,
PROFECTO (ita res habet, Homo sc. talis **VANITAS** est) quin apertissi-
mā sententiā asseveravit: *Tempus meum*, ut **NIHIL** est coram Te, Psalm.
XXXIX, 6. 7. Quis dubitare ausit, verissimè illud à Senecā dictum: **HO-
MINEM** esse **NIHIL**. Apparet magis illud **NIHIL**, si sive cum aternitate,
sive cum ipso, quod Sempiternum est, conferatur **NUMINE**. *Qui metitur*
pugillo suo aquas (maris & fluviorum omnes) *qui celos expendit Spithamā,*
qui complectitur trient ali pulverem terra, qui ponderat staterā montes, &
colles lancibus, ad illum quomodo habent gentes omnes? Hoc verò ipse
Θεὸς πνεύματος Propheta, qui quæsitum proposuit, expedivit: *Omnes gentes, re-
putantur tanquam guttula adharens sicula, tanquam minutissimus pul-
visculus adharens bilanci, imò omnes gentes velut NIHIL sunt coram eo,*
Jes. XL, 12. 15. 17. Et quomodo non vita mortalis omnis, etiam ad nume-
ros Davidicos s. Mosaicos (Ps. XC, 10.) imò plus ultra, ad *Merba Salechi*
τοῦ πατριάρχου ætatem revocata, cum ipsā aternitate comparata, **NE
NILI** quidem (s. parvi illius nigri, quod in summitate fabæ adhaeret, & à quā
voce sic compositā **NIHILUM** est, ac per Apocopen **NIHIL**) instar habe-
ret? Quicquid præter illius *Numen* est, qui solus dicere potest: **EGO SUM,**
QUISUM, qui solus est **ἴσθι** s. ὁ αὐτός, *Immutabilis, & idem Deus à se-
culo in seculum, cuius anni nō deficiunt* (Ps. CII, 28. XC, 2.) prout ex **NIHI-
LO** est, & ne ipsis quidem immaterialibus mentibus exceptis, velut depen-
dens, **NIHIL** obedientiam, quam vocant, potentiam sub ipso **INDEPEN-
DEN**

DENTI Conservatore, & hujus influxu positivo, retinet: ita, hoc subtracto,
 ad principium, ex quo existere cœpit, & ad suum sic **NIHIL** revertitur, ac
 multò magis *homines inbrabitanes domos argillaceas, quibus in pulvere est
 fundamentum, & qui corrumpuntur, antequam Tinea* (Jobi IV, 19.) Scilicet,
 quod tanto splendore mortalibus lucet, quod tantis divitiis fulget, quod
 tantâ se seculi pompâ effert, quod sapientiæ, ingenii, acuminis laude cele-
 bratur, quod publico mundi plausu attollitur, quod tot laboribus defungit-
 tur, hoc quomodo *Spiritus Domini* appellat? **NIHIL**. Ceterùm hoc fortè
 in Capitecentos & imi subfelli Viros notatum à Sancto Spiritu, non in subli-
 mes, non in seculi Heroas, non in Mæcenates atavis Regibus editos. Atq;
 vel majus in his instar **NIHILI** agnoscit ille Spiritus, quo perflante, exarescit
 gramen, decidit Flos. Et quàm, non sine gradu, copulantur in *balance vani-
 tatis*, judicio Davidis: *Tantummodò VANITAS sunt nati plebejis, MEN-
 DACIUM sunt, editi præstantibus Viris. Si bilanci simul imponantur, cum
 eâ, ob summam suam levitatem & vanitatem ascenderent & attollerentur,*
 tantum abest, ut eam sua gravitate deprimere possent. Pl. LXII, 10. cujus
 sensum pulchrè Lutherus: *Menschen sind doch ja NIEHTS / Grosse
 Leute seilen auch (addit: Wer sich auf Menschen verlässt / der seilet / wie groß
 sie auch sind / so ist doch nichts mit ihnen) Sie wegen WENIGER
 DENN NIEHTS / so viel ihr ist.* Ita scil. non saltem, quod mundus
 admiratur, quod tantò opere exosculatur, quod tanto studio ambit, quod tot
 titulis & præconiis attollit, non tantùm **HILUM** minus est, s. *ne hilum* qui-
 dem, & sic **NIHILUM**: sed & ipso minus **NIHILO**, acclamante iterum S.
 Spiritu: *En vos minùs, quàm NIHIL estis* Jes. XLI, 24. & ne quis hoc in Ido-
 la vel Idololatrias solos dictum excipiat, ejusdem **SPIRITUS** clamantis illa
 vox est: *Omnes gentes MINUS NIHILO reputantur ei.* Pl. XL, 17. Atq;
 hoc cum omni tum novissimo vitæ tempore, exactè egit, certissimèq; mor-
 tis incertitudinè prudenter expendit Vir Rev. & Excellent. DN. M. JO-
 HANNES GEORGIUS BINDRIM, S. S. Theol. Professor Clarissimus,
 nunc, festinante fato, ex *hospitio* (quomodo ipse ex *Lipso* in chartâ *Curricu-
 lum Vitæ brevis exhibente* signaverat) corpore, *conditorio* inferendus, mente
 autem cœlo (ibi quippe, non in Sepulcro, *cetera & aterna piorum domus est*)
 receptus. Agnovit, morte nihil certius, mortis horâ nihil incertius. *Teuros
 nos, antequam in metâ sumus, & iverimus, cogitandum esse, & sic ordinan-
 dum* (prout graviter suo more Seneca) *diem omnem, tanquam cogat agmen,
 & consumet atq; expleat vitam.* Qui proinde non potuit non semper certis-
 sime mortis vixisse, nec ipsi, quæ repentina nobis videbatur mors, insperatâ
 fuisse. Omni quippe puncto illud imminere sibi scivit, quod tandem stato
 rem

tempore evenit. Natus autem is (ut post supremam de NIHILO commentationem, traditione diei *Natalis, Vitæ, & Læthæ*, solemniter cetera absolvimus) in pago, uno ab urbe, lapide distante, cui nomen *Rövershagen*/ Patre cognomine, Rev. & Doctis. Viro, Pastore Eccles. ibidem, Matre ANNA Griesen/ Avo Paterno, HANSO Bindrim, Cive, Tinctore & Gossypinorum apud Smalcaldienses Artifice, Avia paternâ, CATHARINA Stverds/ Avo materno, Reverendo DN. DANIELE Griesen, Pastore Eccl. Röversh. Avia maternâ ANNA Platen/ Proavo paterno, GEORGIO BINDRIM, tinctore & Xylinoorum, s. *ἄρτοποιος* Artifice in *κωμοπόλει*, cui nomen *Waltershausen*/ Proavia paternâ, ANNA Sellen/ Proavo materno, DN. M. JOHANNES Griesen/ Pastore Eccles. in *Rövershagen*/ mox diviniore regenerationis Sacramento Baptismo, DEI, & Matris Eccles. fit Filius. Indolem ingeniam indefessa Parentis Reverendi, postea, inde ab octenni, Clarissimorum Scholæ oppidanæ Rostochiensis tunc Magistrorum per Sexennium formavit cura. Jactis sic in Scholâ triviali Rostoch. primis literaturæ fundamentis, hæc firmaturus anno 1664. Scholam adiit Lüneburgensem, inde, Quedlenburgensem, unde revocatus an. 1665. ac Clarissimi M. DOMESII, & hoc præproperâ morte mortalitati exempto, Rev. & Clariss. DN. M. LUDOVICI BARCLAI, Archidiaconi nunc Mariani inspectioni ac moderamini est commissus, de quo, cum ingenuè, beatè nunc Functus, manu propriâ teste, confessus fuerit, *quod ingenium latens & pigrum injectâ quasi manu exeraxerit, nec quæ sciebat, malignè dispensaverit, quod diutius esset necessarius: cupiens, si posset, universa transfundere*, nos equidem illa, quæ extra missam ad Nos, Senecæ verbis, ab ipso Functo conceptam formulam ignorassemus, honorifico suo loco relinquimus, illo saltem, quod, nunc beatus, ipse apposerat, Epiphonemate, Candoris gratitudinisq; teste, Senecæ verbis, huc relato: *Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo*. Hausta sic elegantiorum literarum cognitione, exeunte an. CIO IOC LXIIX. JENAM adiit, ac tam publicâ, quàm privatâ Dominorum Professorum (quos inter Præceptores præcipuè veneratus est plur. Reverendum DN. D. NIEMANNUM, & Dominum Frischmuth/ illum Theologum, hunc Philologum, celeberrimos) ea studiorum cepit incrementa, ut proximo statim anno, & Biretum ipsi imponeretur *Philosophicum*, & publicis duobus exercitiis, uno sub Præside Excellentiss. DN. Frischmuth/ de *Sione evangelicâ ex Jes. 2*. Respondentis, altero Præsidis, de *Excommunicatione Judæis usitatâ*, laudatissima eorundem ederet specimina. Adita inde in transcurso quidem *Lipsia*, sic tamen ut intenderetur à Beato nunc, *Witeberga*, quam cum Theologis, tum


tum Philologis, & imprimis studio Anatolico Excell. Philologi DN. M. AUGUSTI Pfeiffers/ tunc celebratam, nostroq; inde, illius sanctioris Anatoles Lingvarū studiosissimo, eo nomine gratā an. 1670. circa solemne MICHAELIS est ingressus, idq; sibi negotii dari credidit, ut per cognitionē Lingvæ Sanctæ accuratiorē, interius ad Sacra Mōs & Prophetarū ex ipso fonte legendorum penetraret. Revocatus proximo an. 1671. Wittebergā à Reverendo Parente ad Academiam hanc patriam, Theologos de superiori loco docentes sedulò audiendo, in Disputatione Philologicā de voce HOSANA præsidendo, in alterā Theologicā Antijudaicā *de characteribus Messie*, sub Præsidio nostro, publicè respondendo, omnia ea peregit, quæ ad pectus doctrinā Sanctiore benè præparandum, iudiciumq; in rebus Theologicis firmandum, facere poterant, quin & eā sine an. 1672. mediā ætate, illectus imprimis celebritate Excell. DN. L. EZARDI, Hamburgum, inde Chiloniam adiit, salutatisq; Theologis & Philologis celeberr. id egit, ut per docta quoq; colloquia & de reb; sacris collationes magis magisq; firmato animo, stadiū, quod ingressus erat, feliciter decurreret. Reversus inde circa solemne MICHAELIS ejusdem anni, Rever. & Clar. DN. M. BARCLAI, Archidiac. Mariani fidelis. adolescentiæ quondam suæ ritè formandæ Magistri laudatissimi, contubernio convictuq; usus, jam lingvarum sanctiorū compos, quicquid ad augendam eruditionē & Doctrinam Theologicā conferre poterat, commendatū sibi habuit, ipsaq; conversatione piā, placidā, prudenti, decorā, moribusq; concionis, sine invidiā laudem invenit, & amicos sibi paravit! Imprimis pl. Rev. DN. M. REMBERTI Sandhagen / Presbyteri ad. S. Nicolai, & Rev. Ministerii Senioris ac Directoris, animum, cum propriā virtute, tum aliorum commendatione ita occupavit, ut ambienti, Filiam, Virginem, sexus sui virtutibus ornatissimam, ANNAM Sandhagens / nunc Viduam moestissimam anno 1673. 17. Aug. desponderet, cum quā, 8. Octobris ipsa die SPEI, solemni Ceremonia Copulatā domumq; ductā, postmodum, etū vix per unam Olympiadem, & sic breve nimis, tranquillum tamen & fecundū conjugium coluit, duorū Filiorū, totidemq; Filiarū (ex quibus *Anna Dorothea, Johannes Rembertig, Catharina Eva* festinatā beataq; morte præivere, unico, natu minimo *Remberto Henrico*, superstite, quem in gaudia Matris, Aviq; Reverendi servet propitium Numen!) factus Patens. Anno superiori d. 3. Aprilis Professionem Theologicā, à Sereniss. CHRISTIANO LUDOVICO, Duce Mekleb. Domino nostro clementissimo, gratiosè collatam, publicè habitā oratione de *SS. Scripturarū integritate* adiit, in qua per annum, non sine egregio futurorū magnorum Exemplorū omniæ, publicato etiam nuper specimine de *PROPHETIS illorumq; ordine*, militavit.


tavit. Licet autem corpus ceteroqvi satis solidum, & nullis adeò morbis vehementioribus antea tentatum, supremus vitæ annorumq; Moderator Deus largitus esset, nuper tamen Cachexiam, quæ postea d. 5. Maji in febrim exiit, insolitâ expertus, cum non ignoraret, omnibus momentis imminentissimam nobis mortem esse, & adherente ubiq; causâ moriendi, ab illa nos nunquam palmo abesse, qui ad illam diu jam se composuerat, sui immemor esse non poterat. Et licet exquisitissima non deessent Medicamenta, artem Medicam solerter accommodante Excell. & Experientiss. DN. D. JOH. BACMEISTERO, Collegii Med. Seniore celeberr. cum tamen plus arte docta *πύρωσις* illa valeret, jam antea publicis Ecclesiæ precibus DEO commendatus, privatim quoq; à Rev. pl. DN. Socero, eodemq; Confessionario, sanctioribus alexipharmacis, contra metû mortis, ipso novissimè Sacramêto, quod *ἡ φόδιον Δεσποτικόν* appellatum antiquitati est, horâ 2. nocturna d. 16. Maji confirmatus, implorato cum gemitibus, tum devotissimis hymnis & precibus cœlesti patrocinio (præeunte, & triste, necessarium tamen sanctumq; ministerium & officium accommodante Rev. pl. DN. Socero, & insonante, cum illud ex Ps. LXIIX, 20. tum sanctiores illas precum formulas, *Ŋ Herr! du bist mein Zuversicht* / item, *Ŋ Herr Jesu Christ wahr Mensch und Gott.* ipso autem Functo, intelligere se omnia, & firmâ fide credere, asseverante, quin, quousq; Sermonis deficientis sensim, usus permittebat, hymnum illû, *Ŋh hab mein Sach Gott heimgestellt* / devotissimè pronunciante) d. XVI. Maji, eadem circiter, quâ olim natus erat, tempestate, hora 6. mat. placidissima beataq; morte ad cœlestia evocatus, abiit, abiit. Excute jam mentem, quisquis mortis oblitus æternos vitæ mortalis annos ordinas, & vide, quâ mortalis vitæ NIHIL sit. Expende, quâ certissima mortis incertitudo sit, quâq; non saltim poma cocta & matura decidant; sed & cruda sæpe avellantur, ac quod plurimi negligunt, præfens semper intuere mortis punctum! Non quâ diu: sed quâ benè. Etiam Tarsessorum Regis, qui 80. annos Gadibus regnavit, 120. vixit, ubi jam ad metam perventum, aras, quid de tantis numeris habuit? NIHIL. Satis longa vita, dummodò bona imponatur clausula, Optanda mors est, quæ eo ducit, ubi æterni erimus. Quod superest, cum corpus exanime hodie terræ magnæ matri tradendum sit, Vos, CIVES Acad. fulgidissimi, ut exequias frequentes eatis, dolorem sic testaturi, & mœstissimis, DN. Socero, & Viduæ Solamen S. Spiritus precaturi, Viro autem meritissimo supremû humanitatis officium exsoluturi, simul quoque mortem, cui nullum tempus, nullus locus exemptus est, meditaturi, eâ quâ fas est autoritate monemus. P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. XXII. Maji

A. O. R. CIO IOC LXXIIX.

Conventus fiet in aede S. NICOLAI hor. I. postmerid.









tum Philologis, & imprimis studio Anatolico Excell. Philologi
GUSTI Pfisteri/ tunc celebratam, nostroq; inde, illius sancti
Lingvarum studiosissimo, eo nomine gratâ an. 1670. circa solem
ELIS est ingressus, idq; sibi negotii dari credidit, ut per cognit
Sanctæ accuratorem, interius ad Sacraria Moÿs & Prophetarum
legendorum penetraret. Revocatus proximo an. 1671. Witteb
rendo Parente ad Academiam hanc patriam, Theologos de su
docentes sedulo audiendo, in Disputatione Philologica de vo
NA præsidendo, in alterâ Theologica Antijudaicâ *de caracte*
sub Præsidio nostro, publicè respondendo, omnia ea peregit, e
doctrinâ Sanctiore bene præparandum, judiciumq; in rebus Th
mandum, facere poterant, quin & eâ fine an. 1672. mediâ aesta
primis celebritate Excell. DN. L. EZARDI, Hamburgum, ind
adiit, salutatisq; Theologis & Philologis celeberr. id egit, ut per
colloquia & de reb; sacris collationes magis magisq; firmato a
quod ingressus erat, feliciter decurreret. Reversus inde circa
CHÆLIS ejusdem anni, Rever. & Clar. DN. M. BARCLAI
Mariani fideliss. adolescentiæ quondam suæ ritè formandæ M
tissimi, contubernio convictuq; usus, jam lingvarum sanctiorum
quid ad augendam eruditionem & Doctrinam Theologicam con
commendatû sibi habuit, ipsaq; conversatione piâ, placidâ, p
râ, moribusq; concionis, sine invidiâ laudem invenit, & amice
Inprimis pl. Rev. DN. M. REMBERTI Sandhagen / Presby
colai, & Rev. Ministerii Senioris ac Directoris, animum, cum
te, tum aliorum commendatione ita occupavit, ut ambi
nem, sexus sui virtutibus ornatissimam, ANNAM Sandhag
duam moestissimam anno 1673. 17. Aug. desponderet, cum
bris ipsâ die SPEI, solemnî Ceremonia Copulatâ domum
modum, et si vix per unam Olympiadem, & sic breve nimis
tamen & secundum conjugium coluit, duorum Filiorum, totidemq;
bus *Anna Dorothea, Johannes Rembertig, Catharina Eva* fel
morte præivere, unico, natu minimo *Remberto Henrico*, supe
gaudia Matris, Aviq; Reverendi servet propitium Numen!)
Anno superiori d. 3. Aprilis Professionem Theologicam, à Seren
ANO LUDOVICO, Duce Mekleb. Domino nostro clem
osè collatam, publicè habitâ oratione de *SS. Scripturarum int*
in qua per annum, non sine egregio futurorum magnorum Ex
te, publicato etiam nuper specimine de *PROPHETIS illorum*

